



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæst. 1. Quomodo dedit secundum propria[m] virtutem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Græca omittunt. Quin etiam Syrus interpres omisit: ex capite superiore additum videtur.

Non nouit. §. 2. *non nouit vas, non iudico dignas nuptias, ab dico, repudio, contemno.* Agitur enim hoc loco de scientia approbationis, non cognitionis; atque hinc alia quædam loca Scripturæ exponi possunt, ut Bellarminus docet l. 2. cap. 13. de gratia & libero arbitrio. Est enim hæc ignorantia iudicis, non insipientiæ, sed summæ scientiæ, qua omnia cordium arcana penetrat, & iustitiæ, quæ ianuas clausit omnibus, qui vigilias & stationem non tenuerunt, qui suis meritis, non Christi donis confidunt, qui alienis operibus, non suis cum gratia Deifactis nituntur. Bullingerus quasi ipse iudicis dictator, aut magister esset, hic excludit, omnes religiosos, corporis castigationem, ieiunia. Tantum admittit fideles, & pietatis studiosos. Hactenus quidem recte, si tantum eos excludit, qui oleum, hoc est, charitatem non habent. Omnia enim opera mortua sunt, quæcunque animata non sunt caritate. At ille dum pronunciat omnibus oleum deesse, iam ante tempus iudicat, alienæ iurisdictionis inuasor. Melius Paraphraſtes, quem ille ipse producit. Vos igitur ad exemplum prudentium virginum, serui fideles, & prouidi patrisfamilias, vigilate: In tempore parate uobis bonorum operum commeatum: quia nescitis diem, & horam illius aduentus, qui cum subito extiterit, iam non erit amplius tempus benefaciendi. Sed cuique erit premium pro retro gestis.

Bullingeri proteruita.

VERSVS 14.

Sicut enim homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.

QVÆSTIO I.

Quis scopus sit parabola de talentis?

Luce 19. §. 1. *Non est hæc eadem parabola, cum illa, quæ non eadem parabola.* *est Luce 19.* Multa enim diuersa sunt, quæ legenti cuilibet sunt obuia, hoc primum est; quod illa parabola narrata est in itinere, cum ueniret Ierosolymam, ita habet, vers. 10. *Hæc illi audientibus, adhuc dicit parabolam, eo quod esset prope Ierosolymam; & quia existimarent, quod consessum regnum Dei manifestaretur.* & v. 28. *Et his dictis præcedebat ascendens Ierosolymam.* Illa ergo in itinere; hæc post aduentum dicta sunt, cum esset egres- sus de templo, non magno temporis intervallo, eandem parabolam repetit, sed necesse erat rem illam sæpe inculcare.

§. 2. Ante omnia notanda est causalis particula, *Obscuritas* qua cum præcedentibus connectitur: nam cum dicit *dominus dicit, sicut enim:* ostendit se ex præcedentibus aliquid velle declarare, & probare, Beza nostrum obscure vertere criminatur, verum in Græco est eadem obscuritas, quæ est ex eo, quod sit *dominus dicit, sicut enim:* nihil enim responderet particula *dominus dicit, sicut enim:* Expleri autem sensum hunc in modum oportet. Sicut enim homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, &c. Sic faciet filius hominis, trader enim bona sua, &c. & deinde: Cum uenerit in maiestate sua rationem re- pter. Vigilandum itaque docere esse. Nam filius hominis ueniet, & quidem hora qua non putatur, & rationem ponet, ad omne igitur momentum rationes compositas esse oportebit.

§. 3. Principio quidem constat non agi hoc loco de fide duntaxat: Sed seruis credentibus, & domi- *Talenta non sunt fides.* num agnoscantibus talenta dari, hoc autem ab illis requiri, ut negocietur, & data augeant, excusso torpore. nec enim piger ille seruus coniectus est in

tenebras exteriores, quod talentum abliguerit, aut male expendit, sed quod in eo negotiatus non sit, necrem auxerit. Talenta sunt omnia, quæ Deus tribuit. Ambrosius in cap. 16. Apocal. *Quæcunque ergo temporalia, aut quæcunque artes à Domino acceptas præ- sentorum acceptione nobis reputantur.* Insignitur, quæ per primum & secundum seruum designantur, talenta sua desig- cant, cum bona temporalia, quæ à Domino accipiunt, in bonis operibus expendunt atque ad bona agenda, quoscumque pos- sunt prouocant. Impij vero qui per seruum tertium designantur, talenta sua in terra abscondunt, qui à bonis temporalibus, quæ à Domino acceperunt, vitia potius, quam virtutes qua- triunt. Hinc itaque etiam bonorum operum studio nobis serio inculcatur, ne vel naturæ, vel externæ bona in vanum, seu ad exitium nostrum acceptis nos olim ferè doleamus. Agri inculti nulla est utilitas, animus vero sine virtutum exercitatione vitis obsolescit.

Idem Ambrosius ex talentis non modo probat, de operibus agi; sed ostendit etiam inde merita autem l. 2. de uocatione gentium. cap. 2. at in præfatione, de fide, ad Episcopos, & doctores præcipue pertine- re ostendit. *Prouocati, inquit, magister Evangelicæ do- ctionis ut credita nobis quinque fidei talenta quasi quatuor- horum quinque forte librorum, humanis fameretur afflu- bus, ne forte cum uenerit Dominus, & inuenerit in terra abs- conditam pecuniam suam dicat mihi Serue male & piger, sciebas quod meto ubi non semino, & congregasti non sparsi, oportuit ergo te committere & pecuniam meam numulariis, ut ueniens ego recepissem quod meum est. Aut quemadmodum in alio libro est: Et ergo, inquit, ueniens cum uisus utique exegissem illam.*

Et paulo post. *O si mihi liceat secum de uobis num- poru dicere: Domine quinque talenta mihi dedisti, ecce alia quinque lucratus sum, & ostendero uisitationem ta- lentis præiosa uirtutum.* Augeri itaque in suis omnibus illa pastor sincerus exoptat.

Hinc colligitur & scopus prioris parabola; nempe in virginibus fatuis non desideratam fidem, sed charitatem, uti in seruo pigro, non fides, sed o- pera desiderata fuit. Hinc etiam vi ueritatis coactus Musculus, docet hic agi de donis bonæ fidei dispensandis. Et Bullingerus, de omnibus donis omnium hominum in- telligi posse uult præcipue tamen de donis Ministrorum: ex 1. Corinth. 12. Itaque cum eadem sit ratio virgi- num, & seruorum, de operibus bonis, non de fide agitur, in parabola lucernarum, sed operibus.

VERSVS 15.

Et uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij uero unum, unicuique secundum propriam uirtutem, & profectus est statim.

QVÆSTIO I.

Quomodo dedit secundum propriam uirtutem?

§. 1. *Alminus ridiculos ait esse Papistas, qui dantur* *tantum unicuique secundum meriti sui modum.*

Non dubito id maleuoli calumniatoris esse, ne Cal- mo Catholicorum hoc docet. Scimus Deum donis carum sua distribuere pro ut uult, dare multa non modo pijs, sed etiam meritis, sed etiam mala merentibus. Dantur enim illa gratis, dantur interdum pro officio. Dantur etiam pro aliorum salute.

Quod uero dicitur dari unicuique secundum uirtutem, seu *id est diuinitatem*, propriam facultatem, seu dexteritatem, non significat Deum spiritumalia se- cundum

cundum naturalium bonorum magnitudinem distribuere, sed quid soleant in usu seruatorum spectare Domini, ut singulos illis muneribus præficiant, quibus administrandis, sint pares. Ita Deus quoque ita singulis distribuit, ut nihil cuiquam proponat, quod vires laborantis excedat. Ambrosium l. 2. de vocatione gentium audire præstat: cap. 2. Non meritis, sed gratia diuina ad diuinorum bonorum perceptionem nos venire docet. Hac magistro gentium, tanta luce, tanta euidencia prædicante, qua ratione, qua causa dubitandum est, an omnium nobis virtutum germen ex Deo sit? vel quis nisi insignitissimus de differencia diuinorum munerum conquiretur aut imparibus ad scribendum meritis arbitretur, quod non aqualiter de superna liberalitate conferatur? Si enim hac distributio secundum præcedentium operum merita promeretur, non ipsorum donorum catalogum tali conclusione Apostolus terminaret. ut diceret: Hac autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis pro vultu. Vbi vique si meritorum causas voluisset intelligi, diceret: Diuidens singulis pro vultu merentur, sicut plantatoribus, arboribusque primum deuotionis sponsondit dicens: Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Datur ergo vnicuique sue merito vnde debeat ad meritum, & datur ante vllum laborem, vnde quisque mercedem accipiat, secundum laborem. Quod ita esse etiam Euangelice veritatis testimonio agnoscitur, ubi per comparationem dicitur, quod homo peregre proficiscens vocauit seruos, & tradidit illis substantiam suam: & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, id est, secundum propriam naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum, quia aliud est posse operari, aliud operari: & aliud est posse habere charitatem aliud habere charitatem: & aliud est capacem esse continentie, in fine, sapientia, aliud vero esse continentem, in sum atque sapientem. Non itaque omnia reparabilia reparatur, nec omnia sanabilia sanatus est, quia reparabilem & sanabilem esse de natura est: reparatum autem & sanatum esse, de gratia est. Denique isti quibus secundum modulum capacitatis sue, quem in eis distributor substantia prauidebat, dispar creditus est numerus talentorum, non meriti remunerationem, sed operis accipere materiam. In qua duorum seruatorum vigilantissima industria, non solum gloriosis laudibus honestatur, sed etiam in eterna Domini sui gaudia intrare præcipitur. Tertijs vero pigritum vitium, & desidiosa nequitia sic punitur. Vt & vituperationis de decore opprobrio, & portione quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat perdere inutilem fidem, qui non exercebat charitatem.

Ecce quanta ille soliditate doctrinæ, & eloquentia, operum merita in talentis illis deprædicat; & fidem sine operibus inutilem esse iudicat. Tertium seruum non ob infidelitatem, sed pigritiam damnatum esse decernit.

Ideo ex Ambrosii disceptatione, meritum, aliaque colligere facile est: qua causa etiam verba complura citanda putauimus.

§. 2. Hieronymus l. 2. contra Iovinianum cap. 18. Non modo merita; sed etiam inæqualia esse colligit. Vnus apud Lucam decem minas ex vna, alter quinque lucratus est: Hic etiam impatitas est, vnus decem talenta habet, alter duo. Hieronymi verba sunt. Paterfamilias proficiscens tradidit seruis suis substantiam, alij quinque talenta, alij duo alij vnum, vnicuique secundum proprias virtutes. Simile quid & in alio Euangelio scribitur, quod homo nobilis proficiscens in regionem longinquam, ut acciperet sui regnum & reuerteretur, vocauerit decem seruos, & dedit eis singulas minas: de quibus vnus lucratus est, decem minas, alius quinque, & singuli iuxta vires suas, & emolumentum, vel decem vel quinque acceperunt ciuitates. Porro alius qui vnum talentum, seu vnam minam acceperat, quod acceperat in pado, seu in sudario colligauit, & Domini seruauit aduerui. Primo confusum animum, quod si iusti non pro profectu laborant,

ut vult noster zeno, sed ne perdant, quod acceperant; iste qui minam vel talentum insodit, ne perderet, quod acceperat, non peccauit, magis quæ laudanda est cautio seruauit, quam casus labor eorum, qui sine laboris premio desudarunt. Deinde, quod hoc ipsum talentum, quod auferitur a timido vel negligente seruo, non datur, & qui minus lucrificerat. Sed qui plus, id est, qui super decem positus fuerat ciuitates. Si numerus non facit ordinem, quare dixit, dedit vnicuique secundum vires suas. Si eadem lucra sent quinque talentorum & decem: cur ei qui minus lucrificerat, non decem, & ei qui plus non quinque traduntur vt res? Quod autem Dominus non hic contentus sit, quæ habemus, sed semper maiora desideret, ipse monstrat dicens: Quare non dedisti pecuniam meam ad trapezitas, & ego veniens cum sura exegissem? Quod quidem & Paulus Apostolus sciens præteritorum obliuiscitur: & ad ea quæ in ante sunt se extendit, id est, quotidie proficit, nec seruat in sudario delicate gratiam, quam acceperat: sed anarus negotiator, renūciatur de die in diem; & decrefcere se putat, nisi semper creuerit.

Chrysostomus eadem ratione varia dona esse recenset, & Origen. tract. 33. vel vnum accepisse magnum esse pronuntiat. Nec dicere quisquam potest, cum vnum talentum habeam, nihil possum efficere. Potest enim quisque ex vna re comprobati, & placere Deo. Vno talento decem lucrari poteris, laboris enim, gratia & caritatis ratio habetur. Consensu etiam docent Patres ex seruorum negotiatione & exactione rationis, opera necessaria esse ad salutem. Et insignis est professio Hierem. & Patriarchæ Constant. in primo responso aduersus Lutheranos. Opera salutis & Dei gratia, & omnia ad salutem. Sine bonis, seu luti sunt diuini enim operibus, saluari est impossibile. Et c. 18. μηδὲ ἔχεις necessaria. ἢ μὴ σὺ οὐκ ἔχεις. ἀλλ' ἵνα μὴ κενὸς, μηδὲ ὄρεως σὺ ᾤῃς. ἡ γὰρ τὴν ἐξ ἡμῶν τὴν ἀλγὴν τῶν ἐργῶν. ἡ γὰρ τὸ πρὸς τὸν θεὸν ἵνα μὴ ἴσως ἀποχρηστὰς, ἡ δὲ ἀδελφὸν φωνῇ ἐξ ἐργῶν ἐδικαιώθη ἵνα δειχθῇ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ, δὲ ἡ φιλευσθεσία. Οὐχὶ ἐργῶν ἐργῶν ἀπώσπετο, ἀλλὰ περὶ δεομένων δὲ τῶν ἐργῶν χάρις ἔστω. Id est. Nisi enim nos vocauisset: qui potuissimus credere? Dei donum est. An non sufficerebatur inquit fides ad seruandum? Ne vacuos & otiosos saluaret: hanc quæsiuit quæ instructa esset operibus. Et hoc Dei donum est, ut ne quis gloriatur. Nullus inquit ex operibus iustificatus est: ut ostendatur gratia & humanitas Dei. Non replit instructos operibus, sed perditos, seu derelictos ab operibus. & deo δοκίμως δὲ τῶν ἐργῶν. Potest etiam significare, præ manibus datos, seu præparatos ab operibus, gratia saluauit.

§. 2. Clarissime etiam eadem verba τοῦ ἐφ' ἑμὶν, ut vocant Græci, seu, quod in nobis est, probatur. Et Liberum enim cum dedit talenta paterfamilias secundum vultum arbitrium. Et c. 18. κατ' ἰδίαν δυνάμει. Secundum propriam virtutem, cuique liberum fuit, operari, aut torporere; nam dedit κατ' ἰδίαν δυνάμει. Secundum propriam virtutem. Poterant tigitur operari, & gratia aderat, qua facerent, quod poterant. Nulla re magis contra Lutheranos exultauit Hieremias quam titulo τοῦ ἐφ' ἑμὶν, ἐκείνους, seu ἀνεχέμεν ἐν τοῖς πνευματικοῖς, deo quod in nostra est voluntate, seu de libero arbitrio in spiritualibus. Ad vocat enim ut ipse ait τὸν χευστὸν ἡμῶν ἰωάννην. Aureo flumine eloquentiæ Ioannem. Ille in Rom. 2. ἐκείνους πάντες ἐπάσινεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἀληθείᾳ, καὶ τῶν μὴ πιστῶν κατέστησε, καὶ μακροθύμειαν ἐπέδειξατο. καὶ εἰς μετάνοιαν ἐκάλεισεν. Εἰ δὲ μὴ εἰς ἀνέλεος, σε αὐτὸν ἡμῶν ἐξέλεος γίν. ὁ δὲ καὶ τῶν ἀκατακτάτων λέγει Παῦλος: καὶ ἀπεθῆκεν μὴ τῇ ἀληθείᾳ, σκεπτεμένοις δὲ τῇ καίᾳ, χευστὸς μαθ. 23. καὶ ἐπὶ ἐκείνους κατηγόρεα. Ποιῶν γὰρ δόξα γὰρ ἔχει ὁ θεὸς φθόνον, καὶ τὸ σπλάγχνον ἐμὲ μὲν ὁ θεὸς, ὅτε εἴτε βλαφτεῖς, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἁγίους τῇ ἀδελφικῇ ἀγάπῃ, ὅτε εἴτε ἀρετῆς τὸ πλεονέκτημα, ὅτε ἀνέχμεν τὸ ἐργάζεσθαι. Id est. Ille nihil non fecit, quod debuit: & facultates d' discernendi bona ac mala te instruxit: & patienter vitia tua tulit: & ad penitendum vocauit. Sed si manes pertinax: tibi iram colligis: sicut Paulus infra dicit: Et veritati quidem non obtemperant, obtemperant autem malitiæ.

